



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

De quibusdam salibus gemmarum compositiones subingredientibus. Cap.
I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

De quibusdam salibus gemmarum compositiones sub-
ingredientibus. CAP. I.

NUNC aliquas operationes præmittamus, quæ
gemma conficiendis valde sunt necessariae, ne
easdem sæpius repetere cogamur, & primo

Sal sodæ dictæ quomodo fiat.

Kali herbam in cinerè versam, *sodam* appellat vulgus.
Sodam hæc molis terito, & subterito, & in cerniculo in
tenuem puluerem subcernito, ceneis cortinis imponito,
vt aqua diluta coquatur, & mensura erit, pro singulis
sodæ libris, singulæ aquæ amphoræ infundantur. Fer-
ueat ad horas quatuor, vt aqua ad tertias redacta sit,
mox ex igne deponito, & duodecim horarum spatium in-
teriecto resideat, feces subsident, omniq; exempto se-
dimine, aqua fiet nitidissima: inde lanceis licinijs stilla-
tim in subiectum vas amplum secernatur, in cortinas
nouam aquam infundunt, denuo coquitur, ac frigefa-
ctam, vt diximus, & omni absterfo inquinamēto, lym-
pidam redditam iterum extillamus, tantundem & ter-
tia vice faciunt, eam curam subinde habendo, vt lingua
experimentum assumant, si sal nō sapit amplius. Tan-
dem excolata aqua figularem ollam plenam igni appo-
nunt, congerendo prunas, atq; subministrando, vsque
donec iam fere absumpto humore, aqua corpulentior
crassescit, & in salem densatur, qui mox ferreo cocleari
eximitur, & ex quinque *sodæ* libris vna salis exprimitur.
Eodem fere modo cognoscitur

Sal tartari quomodo fiat.

Eligenda est fex è vino vetere, & diligenter siccanda,
tartarum vocatur vulgo, eam in clibanū imponito, eo
artificio fabricatum, vt in superioribus cameris flamme
eluctentur, & retrogradiendo maximū cistum efficiant,
illuc comburi patiaris, inalbescere videbis, ferreis forfi-
cibus reuoluendo, vt suprema pars, que iam excandue-
rit, reuoluta, dorsum igni exponat, vbi cessarit fumus,
exemptam forficibus partē cōfringito, ecquid niueum
colorem omni ex parte conceperit, id enim argumen-

tum est legitime vſtionis ſit enim ſep numero, vt ſumma tantum toga combuſta ſit, reliqua parte cruda. Ergo protinus quam calcis colorem contraxerit, eximendum, & vbi refrixerit, tertio, & in vas patuli oris maderſcat per diei quadrantem, vbi exclaruit aqua, penicillo lineo defecatam in aliud vas decolare opus eſt, & denuo aquam ſuper feces infundere, cætera eandem ſeruans, que diximus, vſque donec ſalem omnem ademerit aqua, quod tertio, aut quarto eueniet. Aquas iam ſeuatas vitreo vaſe transfundas: & omnibus paratis, carbonibus ſubijcias accenſos, operi aſſiſtendo, quouſque, aqua in auras abitura, vi ignis abſumatur, abſumpta ſere aqua, ſal in fundo hærebit: ita factum ſiccò loco ſepoſito, ne in oleum abeat.

*Quomodo ſilix, vel cryſtallus præparentur, & paſſilli
coquantur. CAP. II.*

MATERIA, ex qua gemmæ conficiuntur, eſt vel cryſtallus, vel ſilix, ex quo ignis excutitur, vel rotundi fluminum calculi, principem enim locum tenet, qui ad Tameſim amnem alibi, perſpicui, oui magnitudine, ex his enim cõcinnantur gemmæ, & omnes idem obeunt munus, non deſunt, qui cryſtallum ſibi primas vendicari putent, falſi quod nitida perſpicuitate reluceat. Cuius faciundę ratio hæc eſt. Fluminei calculi fornacibus induntur, loco vbi ſuperioris cameræ curuaturæ æſtuant flammæ, vbi expanſcentes videris, extrahito, & in aquam proijcito, collectos reſiccato, & mortarijs, vel truſatili mola conterito, vſque donec in tenuiſſimum puluiſculum volent, hunc in patentioris oris labellum immittito, quod imbrem cõtineat, & huc, atque illuc manibus agitato, ita enim tenuiſſima pars ſumma petet, & terroſa ſubſidebit, quod ſupernatat vali nouam mox infundes aquam, denuo puluerem cõturbato, ex hoc identidem facito, donec groſſus puluis ponduſculo degrauiatus peſſum non ibit amplius. Aquas iam exemptas reſidere ſinito, & in fundo limoſa quædam pars iacebit, pulueres, qui tactum effugiunt, colligito, & recondito. Sed dum conteritur lapis, & pile, & mola